



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Dialecticæ

Dieterich, Conrad

Giessæ Hessorum, 1611

Prædicamenta.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56580](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56580)

ut licet ejus pars non sit, sine eo tamen in quo inest, esse non possit: ut scientia inest animo, nec tamen est pars animi, nec scientia sine animo existere potest.]

VI. Regula. I. Quicquid dicitur de prædicato subjecti, idem etiam de subjecto ipso recte dicitur, ut: *Homo est animal.*

Hic animal prædicatur de homine. Ergo etiam quicquid de animali (prædicato) dicitur, ut quod sit corpus animatum, sentiens, de homine (subjecto) dicitur.

[*Observa: Regulam hanc veram esse tantum, 1. in prædicationibus essentialibus. 2. in iis qua sunt ejusdem prædicamenti. Non verò in prædicationibus accidentalibus. Quasi est hac: Petrus est doctus. Hector est fortis.*]

VII. Regula II. Quæ genere differunt & differentia, specie diversa sunt, ut homo differt genere & differentia à scientia.

Scientia enim non est animal rationale. Ergo homo, scientia, & virtus, specie diversa sunt.

Hæc de Antepredicamentis: sequuntur

PRÆDICAMENTA.

Prædicamenta sunt ordo generum & specierum sub uno genere generalissimo, quod aut substantiam aut accidens significat.

[*Prædicamenta sic dicuntur, non quod prædicent, sed quod apta sint prædicari de aliis. Unde Græcè dicuntur κατηγορημα, id est, attributiones, sive prædicationes, in quibus, ut Philippus loquitur, cernitur, qua vocabula quibus attribuenda sint. Usus prædicamentorum hic est. 1. discernunt substantiam ab accidentibus. 2. absoluta à re-
latis. 3. docent è quibus domiciliis genera definitionum quaerenda sint, Philipp. l. 1.*]

Prædicamēta sunt decem: 1. Unum
Substantiæ, Novem Accidentis. 2.
Quantitatis. 3. Qualitatis. 4. Relatio-
nis. 5. Actionis. 6. Passionis. 7. Quan-
do. 8. Ubi. 9. Situs. 10. Habitus.

[Singula inclusa sunt his distichis:

Arbor 1. sex 2. servos 4. fervore 3. refrigerat 5. istos 6.
Ruri 8. cras 7. stabo 9. nec 10. tuniceus ero.

Item:

In campo 8. magno 2. pugnabat 5. fortiter 3. olim 7.
Filius 4. Arnolphi 1. stas 9. & calefactus 6. in armis 10.

I. SUBSTANTIA ἰστία.

Prædicamentum Substantiæ est di-
spositio substantiæ per genera & spe-
cies.

Substantia est Ens, quod habet pro-
prium esse, & sustinet accidentia.

[Dicitur Substantia à subsistendo, quia per se subsistit, nec
alio indiget. Græcè dicitur ἰστία, ἰστώσεως, ἢ ἰστώ-
μενον. Accipitur aliquando latè, quatenus etiam acciden-
tibus competit. Strictè verò quatenus accidenti opponitur,
ut hoc loco. Primus autem locus ei tribuitur, quia. 1. acci-
dentia sustinet. 2. Omnia accidentia propter substantiam
sunt, ad eas videlicet ornandas & perficiendas.]

Substantiæ aliæ sunt primæ, aliæ secundæ.

Primæ sunt, quæ de subjecto nullo dicun-
tur, & aliud nil sunt, quàm individua, ut, Pe-
trus, Paulus.

Secundæ sunt genera & species, quæ de
subjecto dicuntur, ut homo.

[Dicuntur autem primæ, quia secundarum sunt princi-
piæ.]